



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem& perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Explanatio puncti 3tii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](#)

rit sub fœtente & sordido cinere , quem igne  
accepto pedibus proculcat.

*Explanatio pancti 3ti.*

**Q**uia virtutis exercitium , utpote naturali  
propensioni , & corruptæ naturæ contra-  
rium , per se difficile est . Certè id per luridum  
ac tetricum vultum , judicii proprii pertinaciam ,  
agrestiores mores , aut insipidam quandam Ca-  
tonianam gravitatem , & quidquid affectatum  
est , non persuadetur , si , sive ratione indolis ,  
sive educationis quoad hæc tibi inest vitium , me-  
retur virtus aut opus bonum , quod alteri vis  
persuadere ; metetur proximi , apud quem vis  
fructificare , salus , ut tibi per praxin examinis  
particularis , de quo egi animadversione tertia ,  
per humilem defectuum tuorum , qui à Superio-  
re vel bono amico indicantur , agnitionem &  
emendationem vim inferas , & neantquam in  
sensu abundes tuo . Hos defectus si corrige-  
rent , vel iis carerent omnes ii , qui humili loco  
nati in Ecclesia Dei præfulgent Dignitatibus ac  
Prælaturis , plus quoque boni apud suos , apud  
exteros proque communi bono efficerent . Illud  
enim Prov . 26 . nimis quàm verum est : *Vidisti  
hominem sapientem sibi videri , magis illo spem ha-  
bebit insipiens .* Sicut autem nemo major est stul-  
lus , quàm qui est , & se tales esse non agno-  
scit ; ità nemo magis agrestis , insipide sapiens ,  
tetricus , invisus , abundans in sensu suo est ,  
quàm qui ejusmodi nævos longius à se abesse pu-  
rat .

tat, quos alii ad nauseam in ipso deprehendunt. Nec imaginari tibi satis ad vivum potes, quanto displiceas moderato & cordato viro, si inter disputandum de lana caprina advertat in te idolum critirii proprii. Fel, quod virtuti inesse videtur, amabilis & gratæ conversationis faccato condiendum est; hinc aliorum judicio genio te accommodare, urbanus, politus, affabilis, etiam facetus, & in cōversatione amoenus esse debes, ita tamen, ut hæ omnes qualitates ab omnifuco & vanitate sejunctæ sint, séque contineant intrà limites religiosæ modestiæ; quæ externa hominis membra, eorūmque compositionem, mores & actiones juxta statūs cuiusque decentiam moderatur; & facit f. ut sit mundities in vestibus, moribus, actionibus, non quæ Aulicisnum aut sæculum sapiat; sed quæ & nesciat agrestem inhumanāmque negligentiam, & simul in religiosam cadat gravitatem. *Ornatuſ ſordes*, ait S. Hieron. pariter fugienda sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Et S. P. N. Paupertatem semper amavi, fordiniem nunquam. 2. Religiosa modestia cavet, ut nil affectati sit in moribus, loquelâ, motu membrorum: nam teste Hieron. nil fucatum placet, motum natura informet, si quid in natura vitii est, industria emendet, ut ars desit, non desit correctio. Et hinc, cùm nemo careat suo niſi, illa laudabilis est amicitia, quam inter se duo trésve colunt, ut unus alteri ex multa confidentia defectus suos sive à natura educatione ingenitos, sive à consuetudine in actio-

*Pars prima.*

52

ne, dictione, conversatione contractos aperiat.  
3tio demum modestia providet, ut hilaris ge-  
nius mentisque serenitas ita semper ex vultu, di-  
scursu, modoque agendi eluceat, ut simul ta-  
men nulla appareat leporina qualitas, risus im-  
modicus, levitas, aut nimia animi effusio, vel  
mimicus genius, ne illud Bern. ad Eugenium in  
te quoque vibrari possit: *Fædè ad cachinnos mo-*  
*veris, fædius moves.* Ejusmodi mores non ædi-  
flicant simpliciores, & sagaciores virosque gra-  
ves statim offendunt, sique perit æstimatiō, sinē  
qua impossibile est, ut solidi quid conversatio-  
ne tuā efficias. Est & istud hoc in genere multi-  
plici probatum experientiā, quod vix aliud hu-  
manæ mentis vitium minus ad correctionem sit  
idoneum, quam mimici esse genii; & seria in  
jocos verrere ac pueriles risus. Talis manet *puer*  
*centum annorum*, & si ipse ideo vix corrigendus  
sit, quomodo cum fructu alios in conversatione  
corriget? nemo enim dat, quod non habet.  
Prætexunt ejusmodi genii homines, Apostolum  
ad Philip. 4. iteratō dicere. *Gaudete in Domino*  
*semper, iterum dico, gaudete.* Sed advertant  
ipsum in continentī subjungere: *Modestia ve-*  
*stra nota sit omnibus hominibus.*

*Explanatio puncti 4ti.*

**Q**UAM divinus conceptus, quam sancta & sa-  
lutaria in ordine ad proximum juvandum  
S. P. N. desideria! ut filii ejus non tantum fun-  
damentaliter iis sint exculti scientiis, quæ in  
scho-